



Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Oratio de Proterria quadam Philosophica.
2. Miscellanearum Exercitationum Decades III.
3. Gymnasium Ethicum.
4. Irenicum sive de differentiis Religionum conciliandis Comentatio.

D. O. M. A.

GYMNASII ETHICI EXERCITATIO VII.

De

Temperantiâ.

Quam

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI,

Phil. Profess. Publ.

Placidæ ventilationi subjicit

GOTHOFREDUS RESSIUS,

Silesius.

In Gymnasio Gedanensi.

Ad diem Septemb.

Horis locoq; destinatis.

DANTISCI,

Typis Viduæ GEORGII RHETII.

Anno M. DC. XLIX.

EXERCITATIO VII.

De

Temperantia.

VIrtus directa *Universalis* Justitia Universalis fuit, *d. 5.* Seqvitur jam *particularis*, circa particulare Objectum occupata. Hæc *primaria & in habitu* spectata *vel* ipsum possidentem respicit, ut ille primò perficiatur, ejusq; actus potius in agente ac subjecto proprio terminetur, qvàm alieno, ut Temperantia & Fortitudo: *vel* aliud qvid, ut & istud iuvetur, fructumq; virtutis sentiat, Qvomodo Liberalitate, Urbanitate, Veracitate, Justitiâ particulari, Mansuetudine, magis alius, qvàm nos juvamur. Honestas actus & perfectio moralis in agente qvidem est: sed terminus & fructus potiùs in patiente & alieno ab agente est. Hoc Objectum particulare *vel externum est*, ut sumptus, Circa qvem *sufficientia, sedulitas, parsimonia, liberalitas, magnificentia, vel honor, Circa* qvem modestia & magnanimitas, *vel* conversatio, in qvâ virtus homiletica, ut Humanitas Urbanitas, Veracitas, Tranqvillitas, *vel* actio cum alio in externis, ut mansuetudo, Justitia particularis: *vel* gradus inusitatus, in qvo Virtus heroica, *Et secundaria*, qvæ in virtuosâ dispositione spectata est, in qvâ Semivirtus, Verecundia, Misericordia, Continentia, Tolerantia, Obedientia: vel deniq; in usu fructuq; spectata, in qvo Amicitia.

2. *Temperantia præmittitur fortitudini*, qvia prius in subjecto, mentem à pravo affectu, qvàm urbem ab hoste custodire, prior naturæ ordine cupiditas nutriendi ac

generandi, qvàm audendi aut irascendi, *& difficilius* est seipsum & voluptatem, qvàm hostem vincere, blandè enim irrepit, & admissa laboriosè exigitur, & multarum virtutum fundamentum in homine temperantia est, ut *Cicero* vocat. *Scaliger* matrem & normam cæterarum virtutum dicit, *3. Poet. c. 1.* Dignitatis ordine fortitudo antecedere possit, ut & *Aristoteles 3. Nicom. c. 9. Martyr in 3. Nicom. c. 7. Acciaolus in h. l. Piccolomon. qvæst. 4. disp. 5. Eust. S. Pauli p. 3. Eth. tr. 3. sect. 3. Morisanus d. 5. Eth. q. 7. Gutkius d. 5. & 6. Eth. Pavonius d. 3. Eth. q. 3. 4. Riedt Eth. nova p. 71. 204. Raconis f. 3. Eth. q. 2. aliiq; faciunt.* Vox ejus tropicè interdùm sumitur, ut aquila temperans, *Aelian. lib. 1. c. 6.* Et omnis virtus temperantia, *Scalig. cit. l. Cicero 5. Tuscul. t. 42. Jonstonus Ench. Eth. c. 2.* Interdùm propriè pro Virtute voluptatem gustus & tactus moderante, ut hic. A temperando dicitur, & Græcis σωφρωσύνη, Germ. Nüchterkeit; Interdùm & continentia dicitur, ut *Valla 4. Eleg. C. 4.* Quanquam Philosophis propriè semivirtus hæc. *V. disp. 13. t. 15.*

3. *Realis tractatio ejus* in definitione, subjectis, divisione, & cognatis, ac oppositis spectari potest.

4. *Definitio est, quòd sit Virtus moralis directa mediocritatem prudentiæ circa voluptates gustus & tactus utendo vel carendo servare faciens.*

5. Genus est *Virtus moralis directa*, Definitio enim ejus illi competit, *d. 4. t. 13.* Et oppositum temperantiæ Vitium est. Ergò hanc Virtutem esse oportet. *Differentia in cæteris* est, mediocritatem prudentiæ servare faciens, in eo enim forma Virtutis. *d. 4. t. 5. 6.* Consequenter & Temperantiæ. Servare faciens, hoc enim proprium Virtutis, *c. l. t. 9. Actus ipse* servat medium, Virtus servare docet, facit, & inclinat. Hoc *servare facere*

redi-

redigendo ad moderationem fit, qvà inordinationem, intensionem, extensionem, protensionem, & modum appetitui inferendum, non totaliter eradicandum & evellendum eum. Moderatè appetitu in gustando & tangendo uti debemus, non sine ullo esse, aut prorsùs eum exuere. Et redactio ad moderationem fit, *& rectæ rationis præscripto,* ut oblatà voluptate non statim appetitus proruat, sed attendatur, *qvid, qvantum, qvamdiu, qvaliter* usurpandam recta ratio dictet, & *carentia ejus* moderantè feratur. Nec enim ad cibos ac potus percolandos nati sumus, sed ad longè aliud qvid. *V. Senec. præf. L. 1. Nat. qvæst. Et appetitus obseqvio,* ut rationem seqvatur, non prætervehatur: *Et exemplorum similium aut oppositorum conspectu,* qvibus vehementer moveemur. Sic Cato, Scipio, Themistocles, Socrates, Joh. Baptista, temperantes, Belsazer, Cleomenes, Antonius, Cleopatra, Candaules, Messalina, aliiq; intemperantes. Exempla in *Polyantheis, Valerio Max. Apolephte, Drexelio, Camerario, Erasmo, Zuingero, Beyerlingio, & aliis* extant. Christianus etiam Scripturæ dicta, *Luc. 11. Eph. 5. 1. Tim. 4. 1. Pet. 5. Hebr. 12.* Preces, qvotidianam DEI cogitationem, *Rom. 14. v. 6.* Pauperum curam, *Amos. 6. 7.* & similia adhibebit, De qvibus in Casib. Conscient. agitur. Et Magistratus leges temperantiæ figet, qvales Orchia. Fannia, Didia, Licinia, Cornelia. Specialia *Jonstonus 3. Eth. c. 2.* habet.

6. *Ex objecto circà voluptates gustus & tactus dicitur. Objectum temperantiæ primarium* est Voluptas gustus & tactus, ejus amor, desiderium, aut occupatio. *Non hic generalissimè,* nec specialissimè, nec generaliter voluptatem omnis sensus notat, etiam visus & auditus, ab his enim non intemperans aliqvis vocatur. Ut si svavem Musicam

 nimis

nimis audiat, insignem picturam nimis aspiciat, gratum suffitum nimis percipiat, nisi per accidens, si ea ad gustum & tactum aspiciat, ut suavem cibum, ut ultra modum eo se farciat, picturam, ut libidinem irritet, odorem vini, ut ingluviem impleat: *Sed partialiter* eam, qvæ in gustu & tactu, qvà in illis materialis objecti est perceptio aut absumptio, unde nuda saporis discretio, ut vini pitissando facta Intemperatem non faciet, sed realis cibi absumptio, ut in Philoxeno, qvi gruis collum optabat, ut cibi voluptatem diutiùs persentiret, *Arist. 3. Nicom. C. 13. Et non qvà per totum corpus tactus funditur*, Ita si membrum frices, titilles, ad agilitatem, sanitatem, munditiem, non est Intemperantia: sed qvà certum corporis membrum, ut os in cibando, & pudenda in veneriando.

7. Hæc Intemperantia *vel ratione Objecti fit*, cum id illicitum, utqvando cū meretrice, consanguineâ, consuescitur. Sic Antiochus Stratonices novercæ amore exarsit. *Camer. C. 1. C. 4.* Semiramis filii, *Justin. l. 1.* Phædra privigni, *Senec. in Hippoly.* Idem in Sodomitis & pæderastis contingit: *Vel ratione modi et circumstantiæ*, ut cum uxore propria ad lasciviam & libidinem qvis abutitur, qvod ex sententià Xysti cujusdam Pythagorei Hieronymus adulterium dixit *L. 1. C. Jovin. C. 5. Et Ambros. L. d. Phil.* Abusivè, cum lascivia & impudentia propriè fit. Sic cum tempore luctus publici potationibus, choreis, Veneri, qvis indulget. Sic Claudius in æde Martis commessatus, cum nec locus, nec tempus qvadrarent. *Sveton. Claud. C. 33.* DEus tempore legis cum mulieribus suescere prohibuit, *Exod. 19. v. 15. Cur sola voluptas gustus & tactus intemperantem faciat*, reliqvorum sensuum non item, ratio *Dec. 2. Mi. d. 6. t. 12.* dicta est. Qvomodo voluptas res in sese

licita

licita & honesta, ex honestâ turpis evadat, hic qværitur? Non additione aut accretione, sed detorsione & vitiatione, ad objectum illicitum extensa, modo illicito occupata, alieno fine rapta, priorem formam amittit, & inhonesta fit.

8. *Secundarium est dolor ex privatione voluptatis appetitæ exsurgens*; unde *utendo & carendo* medium servare temperantia dicitur. *Dolor* hic non Physicè acerbitatem sensionis externæ, sed moraliter ægritudinem notat, qvà carentia voluptatis molestè fertur, & præsentia expetitur. *Consequenter* & hunc temperare debet, ut moderatus sit, non immoderatus. Sic sufficientia & præsentes opes moderari, & carentiam earum moderatè ferre docet. Variè aliàs definitur *temperantia*, ut firma in libidinem ac pravos animi motus dominatio, ut *Cicero*, *vel* insuperabilis dispositio eorum, qvæ rectæ rationis sunt, ut *Zeno*, *vel* Virtus nos respiciens, concupiscentias vel affectus moderans, ut *Jonstonus*, qvæ omnia nimis lata, incompetentia, & aliena sunt, Ut *d. 5. dec. 3. t. 9.* ampliùs dictum.

9. *Subjectum temperantiæ idem cum Virtute* est, de qvo *d. 4. t. 10. Divisio ejus in frugalitatem & Castitatem est. Frugalitas est temperantia, gulam & alimentum moderans. Estq; abstinentia & sobrietas. Illa*, qvæ alimentum cibi qvantitate & qvalitate moderatur. *Qvantitate*, ut subjecto sumenti ea competens sit. Plus sumere potest Milo, qvàm valetudinarius, qvia robustiore naturâ præditus, ut non sit intemperans. Medium enim hic ex determinatione prudentis pro circumstantiarum ratione servandum est, *d. 4. t. 9. Pontificij* pro abstinentiâ unam comestionem de die reqvirunt, *Thomas 2. sec. q. 147. Valentia T. 3. d. 9. q. 2. Bellarm. l. 3. d. bon. op. C. 1. 2. Lessius L. 4. d. J. & J. C. 2.*

Beca-

Becanus, *Cotonus*, aliiq;. Sed nec hoc præſcribi poteſt, & nihil comedere Jejunium facit, non temperantiam; hæc enim non numero comeſtionum, ſed moderatione asſumptionis definienda. Non nihil, ſed moderatè comedere temperare eſt: Nihil comedere jeiunare eſt. Ubi autem ſemel comeditur, jam comeſtio Jejunii esſe tollit, terminumq; ei ponit, unde in ſacris ſæpè usq; ad veſperam jejunasſe dicuntur, *Judic. 20. v. 26. 2. Sam. 1, v. 12. C. 3. v. 35. & 1. Sam. 31. v. 13. Ac 1. Chron. 10. v. 12.* ſeptem dies jejunasſe, nempè per diem naturalem à ſolis ortu numeratum jejunârunt, & tùm nihil comederunt: Ad veſperam poſt ſolis occaſum comederunt, & tùm finis jejunii extitit, non autem cibo ſumpto adhuc jejunium duravit; nec è ſacris locus aducetur, ubi cibus per diem ſemel captus jejunium vocabitur. Nam totalis hoc cibi abſtinentia, non unica comeſtio in illo eſt. De qvo plura in Theologicis.

10. *Qvalitate*, ne curioſè nimis delicatus cibus ſolius gulæ gratiâ qværatur. Hoc enim Intemperantem facit. Unde Apitii, Lurcones, Paraſiti. *An humanis carnibus ultimâ necesſitate veſci liceat, qværitur? Victoria d. temp. n. 6. & Valĕtia T. 3. d. 9. q. 3,* negant, *Lesſius l. 4. d. 3. & 3. C. 3. d. 2. & Cajetanus, Toſtatus, Toletus,* apud illum, *Meiſnerus p. 3. Ph. ſ. 1. C. 5.* affirmant, Et probabilius eſt. Sic enim & medicamenta ex carne humanâ ſumuntur, & avibus devoranda ea exponitur in facinoroſis, & ſangvis humanus ob certum finem hauritur. *Oppoſitum frugalitatis partìm excesſus*, ut Voracitas, nimii cibi ſumptio qvantitate aut qvalitate, Vbi verum qvidem illud *Senecæ*, Venter præcepta non audit, poſcit & appellat: Verum tamen & id, qvod ſubjicit, Non tamen moleſtus

eſt cre-

est creditor, parvo contentus est, si das illi, quod debes, non qvod potes: *Partim defectus est*, ut nimia cibi abstinentia & corporis maceratio, *neglectus, non delectus*, & cibos vitare, non variare. In qvo iterùm Papistæ Jejunium locant, cum carnibus abstinent, & piscibus ac conditis, & bellariis fructibusq; vescuntur, In qvo tropicum & æqvivocum Jejunium, non proprium est, & locus *Dan. 10. v. 2.* alienus est, cum lugere suum ibi describat, non Jejunare. *Conf. t. 9. Et Passional. t. 5. 6.* Paulinus Episc. picturas in conviviis *Natalitijs* proponere solitus est, ut iis spectandis intenti moderatiùs convivæ ederent. *Steinius l. 2. Grets. triumph. c. 5.*

11. *Sobrietas est temperātia alimentū potus qvātitate & qual. moderās. V. t. 9. Oppositū in excessū* est ebriositas, habitus se inebriandi, qvi *& qvantitate discretâ* ac multitudine, & *continuâ* s. magnitudine, *& qvalitate*, ut nimis cupidè, raptìm, delicatè, ore patente, loco & tempore inconveniente, & nimis pretiosus statum indecens, & intentione, ob solam gulæ delectationem, committatur, cum poculum necessitatis, salubritatis, ut *1. Tim. 5. v. 23. Jucunditatis*, ut *Gen. 43. v. 34.* concessum sit, non ebrietatis, ut *Hippocrates, Avicenna, Rhasis*, volunt, Qvod & *Seneca* concedit *d. tranqvill. C. 15.* Cum non facienda mala sint, ut bona eveniant, ut vomitione natura levetur, cum tot cruditates ex ebrietate relinqvi, qvàm vomitù ejici possint, aut melius literis invigiletur, Qvod lusciosos meliùs rectè videntibus videre dicere est, ut rectè *Gutkius d. 6. Eth. q. 1.* In defectû nimia potus abjectio, qvo *Encratitæ, Severiani, Mago, Lasyrta, Andro*, aliiq laborasse dicuntur, cum aliàs rarum sit. *V. dec. 3. d. 5. t. 11.* Et *deterius vitium hoc voracitate est*, qvià & plurium morborum in animo & corpore, tandemq; &

interdùm celeriter mortis causa est, & fermè omnia Decalogi præcepta lædit, ut farrago scelerum sit. Etsi *voracitas* ob crassitiem & corpulentiam cibi coctionem difficiliorem suggerat: Et deterior Intemperantia etiam timiditate sit. *V. Arist. 3. Nicom. c. 15. Strauchium C. 1. qv. Eth. dec. 9. qv. 1.*

12. *Castitas est Temperantia appetitum Venerium moderans. Estq́ Virginalis*, ut in Josepho, *Gen. 39.* Qvæ si libera, ejus, qvi donum continentiæ habet, & sufficienter se probavit, legitimoq́ fine, non cum Conjugii contemptù, occupata sit, non coacta, perpetuis votis aut in longum tempus adstricta, improvidis ætatibus, qvæ nondum satis se probant, imposita aut persvasa, alieno fine, ut merito vel cultu exercita, omninò probanda, ut in Paulo *1. Cor. 7.* Secùs ac apud *Pontificios* fit, ubi & theoriâ & praxi peccatur, & certus vitæ status, Sacerdotalis, à conjugio arcetur, contra regulam & praxin Apostolorum, & primorum post illos seculorum, etsi in Niceno Concilio jam iniqvitas moliri ceperit, qvæ tamen Paphnutij contradicentis prudentiâ disjecta fuit, ut *Socrates L. 1. c. 8. Sozomenus L. 1. c. 22.* tradunt. *Suaderi cœlibatus Clericis potest, non Juberi*, cum nec Lex de eo in Sacris extet, nec necessariò statui illi connexus sit, vel esse debeat, sed totum hoc traditione humanâ, & exemplis qvorundam persecutionis tempore tum qvotidiè Christianis à Judæis & Gentibus imminentis, qvam ἐνεςῶσαν ἀνάγκην Paulus vocat, *1. Cor. 7. v. 27.* ad consilium ejusdem *c. l.* statum istum eligentium & colentium nitatur, donec temporis progressu Consuetudo id in legem vertit, ut *historia Ecclesiastica* docet. Sic Jeremiæ ad tempus prohibitum, in certo loco uxorem ducere, Jerem. 16. v. 23. Et sub vastatione Jerusalem beatæ steriles prædicantur, *Luc. 23. v. 29.* Sed lex de perpetuo

cœli-

cœlibatû & votis constricto non reperitur. Inde *Canones qvidam*, Ut 6. Apostolorum, *Clemens L. 2. Constit. Nicana & Trullana Synodus, Concil. Gangrense Can. 4.* Et ex ipsis *Pontificiis Gratianus d. 28. C. 13. Et d. 31. C. 13. Durandus, Innocentius IV. Panormitanus, Æneas Sylvius, Fricius, Cassander, aliiq́;* Sacerdotes conjugatos esse admiserunt, & qvidam Reges ac Duces de eo per Legatos in *Concil. Tridentino* multum laborârunt, ut *Ferdinandus 1. Imp. Henricus II. & Carolus IX.* Gall. Reges, Bavariæ Dux & alij. *Judæi & gentiles* qvidam cœlibatum in totum damnârunt, Contra *Matt. 19. v. 12. 1. Cor. 7. v. 26. Alij* qvibusdam de necessitate eum imposuerunt, Vt Clericis *Pontificij.* Rectiùs liber certisq; subjectis competens relinqvitur. *Vigilantius* coniugij Sacerdotum necessitatem, *Pontificij* cœlibatus necessitatem, Nos utriusq; libertatem pro conditionis ratione in utrisq; propugnamus.

13. *Conjugialis, quæ in conjugio ordinem DEI & decorum honesti servat.* Ei qvidam Veterum & recentiorum iniqviores sunt, & cœlibatum nimis extollunt, Vt *Hieronymus, Tertullianus, Gnostici, Satrunini, Tatiani: Et Vidualis*, qvæ post conjugium animi munditiem servat. *Divisio* est subjecti in accidentia, ex diverso statu eorum, qvi colunt eam, sumpta, non generis in species. De medijs castitatis Scripturam, *Senecam, Drexelium in Nicetâ* & alijs scriptis, similesq; vide.

14. *Oppositum ejus in defectû stupiditas & insensatio*, ut in Michaele Vero, Casimiro Pol. Regis filio, aliisq;, de qvibus *c. l. t. 12. In excessu salacitas ac libido est*, Interna, externa, verbalis, realis, qvorsum & *Chorea lascivæ*, petulantes, & impudicæ pertinent, qvæ ductus *Chrysostomo* sunt, qvorum centrum diabolus est, cum per se

ſe indifferens chorea ſit, per aliud & objecti, modi, circumſtantiæ, ratione, illicita fieri posſit, ut & qvæ ſexu commiſto fit, qvæ gravitati Chriſtanæ magis adverſa, qvàm apta aut cognata eſt, prout apud *Gerhardum*, *Brochmandum*, *Meiſnerum*, *Alſtedium*, *Munſterum*, *Gualtherum*, *aliosq;* plura videantur. Item *concubitus inhoneſtus vel ratione objecti* ut cum dæmone, *V. de Magicis, d. 4. & 5.* Scorto, Uxore alienâ, conſanguineâ, puero, beſtiâ, menſtruatâ, qvi olim capitalis, *Lev. 20. v. 18.* Unde ſtupra, ſcortationes, adulteria, inceſtus, pæderaſtiæ, ſodomiæ, magicæ infamiæ, & ſimilia, qvæ multis gentibus uſitata fuere, ut *c. l. t. 13.* dictum. Gentibus ſcortatio indifferens erat, *V. Terent. Adelp. a. 1. ſ. 2.* Unde Apoſtoli indifferentibus conjungunt, ut eſui ſangvinis & idololythi, *Act. 15. v. 20.* Et ex hæreticis *Libertini*, *Gnoſtici*, non peccatum habuerunt, ut *Lesſius 4. d. Jus, C. 3. n. 47.* tradit. Sed in ordinatâ Repub. lupanaria prorſus non ferēda, *Deut. 23. v. 17. 18. Vel ratione modi*, cum contra vas, decorum, & gravitatem etiam licitus aliàs concubitus exercetur, vel circumſtantiæ, ut alieno loco & tempore. Exempla in Polyantheis vide. *Remedia* hi verſus tradunt. *Lectio, flagra, preces, Confesſio, lympha, labores, portarum excubiæ, Chriſti præſentia, pœnæ.* V. Drexel. in Nicetâ.

15. *Cognata temperantiæ omnes continentiæ ſunt*, qvâ à voluptatibus abſtinetur, ſed remisſè & cum luctâ, ut interdum etiam ſuccumbas, *V. d. 13. t. 8. Oppoſita ejus excesſus* ſunt, ut intemperantia, vitium morale, modum in appetendis voluptatibus guſtus & tactus ſpecialibus excedens. Cujus ſpecies *t. 10. ſeq.* deductæ, *& defectus, ſtupor*, Inſenſatio, ac naturæ dedolentia, qvâ ne licitæ qvidem voluptates guſtus & tactus appetuntur aut uſurpantur. Species ejus *c. l.* deductæ. Affines ei fuerunt *Stoici*, affectus eradicandos, non domandos, docentes. *V. Hornejum 2. Ethic. C. 6. Plateanum L. 2. Eth. Chriſt. c. 15.*

